

damnosam esse negamus. Probatio, quæ additur, nulla est: Nam propriè loquendo S. Scriptura neq; per se neq; per Accidens ducit in errores. Si verò per Accidens fieri concedendum esset, ut quidam inde errandi occasionem arripiant, fieret tamen non scripturæ culpâ, sed quorundam hominum perversorum iudicio.

*5. Dona Dei non sunt peccata:*

*Virtutes Ethnicorum sunt dona Dei:*

*E. non sunt peccata.*

*Resp. ad Majorem.* Dona Dei non sunt peccata *per se*, peccatis tamen adnumerantur propter contaminationem, quia à vitiosis proficiscuntur. Virtutes itaq; gentilium, quatenus ex parte conformes legi divinæ, non fuerunt peccata *formaliter* & *per se*. Nihilominus sensu Evangelico & respectu externæ *ἡθέσεως*, quatenus non placuerunt Deo, adeoq; *per accidens* rectè nuncupantur peccata, *ob defectum fidei*, sine quâ Deo placere est impossibile. *Hebr. ii. v. 6. 2. ob finem illegitimum*, quia non tam Dei, quàm propriam quæsiverunt gloriam